

## DE ADOPTIONIBUS.

8.48.1

*Imp. Gordianus A. Marciae.*

Hi, qui in aliena sunt potestate, iuxta ius civile non nisi apud eum, apud quem plena legis actio est, adoptari possunt.

*PP. k. Iun. Gordiano A. et Aviola cons.*

[a. 239]

8.48.2

*Imp. Diocletianus et Maximianus AA. Timotheo.*

Impuberem, quem ad vicem naturalis subolis adrogare desideras, si hi, qui sanguinis necessitudine iunguntur, id ei expedire apud praesidem provinciae confirmaverint, filium habebis, ita ut bonorum tuorum quarta pars tam in postremo iudicio tuo, quam si a te emancipatus fuerit, ei praebeatur et super patrimonio eius idoneis fideiussoribus datis servo publico caveatur, ne sub copulandae adoptionis obtentu in facultates eius, quae ei diligenti provisione servandae sunt, inruas.

1 ¶ Adrogatio etenim ex indulgentia principali facta proinde valet apud praetorem vel praesidem intimata, ac si per populum iure antiquo facta esset.

*PP. V id. Mart. Maximo II et Aquilino cons.*

[a. 286]

8.48.3

*Idem AA. Marciano.*

Cum eum, quem adrogare vis, libertum tuum esse profitearis nec ullam idoneam causam precibus indideris, id est quod non liberos habes, intellegis iuris auctoritatem desiderio tuo refragari.

*PP. XVI k. Iui. Maximo II et Aquilino cons.*

[a. 286]

8.48.4

*Idem AA. Proculiano.*

Adoptio non tabulis, licet per tabellionem conficiendis, sed sollemni iuris ordine apud praesidem solet copulari.

*PP. k. Sept. ipsis IIII et III AA. cons.*

[a. 290]